



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 83. Parisiensis Facultatis Theologicæ decreta contra perniciosos libros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. vit, qui etiam Jacobo ingentem auri
 A. C. 1623. vim Mense Decembri eo fine promisit,
 ut Hispanis, & Cæsareis bellum inferre
 posset. Nec magis ad pacem propensi erant
 Hollandi; cum enim Cæsar decreto ad eos legato
 peteret, ut præsidia sua ex Imperii urbibus
 deducerent, & quotannis ad bellum in Turcas
 movendum subsidia conferrent, pollicitatione
 facta, quod Cæsar pacis inter eos, & Hispanos
 arbiter esse vellet, hi arroganter respondebant,
 quod Hispaniæ Rex nullum in eorum Provincias
 jus haberet, nec ipsi quicquam contra Turcas
 conferre possent, cum aliunde pluribus impensis
 annue gravati forent, atque finium tuendorum
 causa, liberas Imperii urbes tenerent.

LXXXIII.

*Parisiensis Facultatis Theologicæ decreta
 contra perniciosos libros.*

*Argentre
 coll. Jud.*

t. 2. p. 138.

Die secunda Januarii Parisinæ Facultatis
 Syndicus librum *de vocatione* Magorum a
 Theologiæ Doctoribus examinari petiit, quo
 factò Facultas hunc librum tanquam impium,
 nefarium, horrendum, Blasphemiis & obscæni-
 tatibus plenum, Scandalosum, bonis moribus
 adversantem, etiam in fide & religione pericul-
 osum, rejecta omni appro-

approbatione, publica censura afficien-
 dum judicavit, censuitque, rogandum
 esse Regium Cognitorem, ut illius
 venditionem curet impediri, & ut po-
 steris innotescat, quanti sit momenti,
 quamque grave ferat Facultas libros
 hujusmodi perniciosos a suis Doctori-
 bus promiscue approbari, hinc Ale-
 xandrum Soto Choletæum, & Julia-
 num le Gendre Magistros, qui hunc
 librum non petita Facultatis venia con-
 tra Sorbonæ statuta & leges appro-
 basse dicebantur, in pœnam culpæ ab
 illis contra statuta commissæ, per an-
 num integrum omnibus honoribus,
 juribus & privilegiis privandos æquis-
 sime judicavit.

Sæc. XVII.
 A. C. 1623.

Hæc censura die prima Aprilis e-
 vulgata est. In eodem autem Facul-
 tatis confessu Rudolphus Gazilus Ma-
 gister exposuit, quod omnia Faculta-
 tis arcana a plerisque Magistris prode-
 rentur, & quæcunque in congregatio-
 nibus clam pertractata fuissent, mox
 apud Regulares, & Laicos detegeren-
 tur, imo & nomina eorum, qui ad il-
 lorum libitum suffragia denegarunt,
 apud Magnates & Magistratus, nulla
 habita juramenti ratione, propalaren-
 tur: Eapropter Facultas singulos Ma-
 gistros, ut præstiti Solemniter jura-
 menti

Sæc. XVII. menti memores, arcanum servarent,
 A. C. 1623. admonuit.

§. LXXXIV.

*Liber de Energumenis a Facultate
 Parisina proscriptus.*

*Argentre
 l. c. p. 138.*

Circumferebatur eo tempore Parisiis tam Gallico quam latino idiomate a Joanne Normant Chiremontano editus quidam liber: cui titulus. *Vera, & memorabilis Historia de tribus energumenis in partibus Belgii cum tribus appendicibus.* Prima de Mirabilibus hujus operis. Secunda, de Conformitate ipsius ad scripturas & sanctos Patres: Tertia, de potestate Ecclesiastica super dæmones agebat. Cum autem in hoc libro plurima obscæna, insulsa, & facris literis adversa continerentur, hinc die secunda Januarii Facultas perniciosum hunc foetum suppressit; edita hac censura: *Sicut nihil pestilentius, nec perniciosius potest depravatis perversæ Doctrinæ libris excogitari, ita nihil cautius nec diligentius apud Christianos præsertim debet evitari; iis quippe virtus expugnatur, pietas enervatur, ipsa denique Religio undequaque labefactatur; ideo omnibus semper seculis. quotquot sancti Patres doctrina & pietate floruerunt, animorum salutem invigilantes, impia atque*
 erro-